

blica universitate graduatus, non excusatur ab examine, quando petit provideri de aliqua Ecclesia parochiali.

20. *Excipiuntur etiam a novo examine presentati ad beneficium simplex qui post prævium examen admissi sunt ad ordines sacros. Aut qui notorie sunt litterati.* — Excipiuntur quoque a novo examine sustinendo presentati ad beneficium simplex, qui post prævium examen admissi fuerunt ad sacros ordines. Siquidem episcopus « ad obtinendum beneficium ecclesiasticum (saltem simplex) debet idoneos reputare, quos ad ordines suscipit, » juxta textum notabilem in c. *Accipimus*. 13. de *Ætate et qualitat.* atque cum aliis notat Gonzalez cit. Gloss. 4. n. 84. Ubi is hoc ipsum n. 86. ampliat ad eos, qui sunt notorie litterati, et habiles ad beneficium simplex, arg. can. *Nullus ordinetur*. dist. 24. juncta Glossa un. ibid.

21. *Examen requiritur pro forma solum in parochialibus, non vero in simplicibus beneficiis.* — Addit Barbosa cit. allegat. 60. n. 87. quod quamvis ex concilio Tridentino sess. 7. cap. XIII. de *Reform.* necessarium sit examen in omnibus beneficiis; pro forma tamen illud in solis parochialibus requiri, receptissimam sit scribentium resolutio. In aliis vero simplicibus cum residentia, vel sine residentia, non requiritur examen de necessitate, nec fit; si provisus sit persona insignis, et notorie idonea: et ita vidi servari etc. Ita Barbosa loc. cit. n. 87. (ADNOTATIO III.)

§ II.

DE ILLIS, QUIBUS COMPETIT INSTITUTIO COLLATIVA, AUCTORIZABILIS ET CORPORALIS BENEFICIORUM.

22. *Institutio collativa, de jure communi pertinet ad episcopi loci, in quo situm est beneficium.* — Queritur I. Quibus competat institutio collativa beneficii? Resp. II. Institutio collativa, seu potestas quoad titulum instituendi in beneficiis presentatos a patronis, et per examen idoneos repertos, de jure communi pertinet ad episcopum loci, in quo situm est beneficium. Ita communis; ac signanter Abbas, c. *Cum Ecclesia Vulterrana*. n. 8. vers. *Tertio de Election.*; Fagnanus, c. *Eam te*. n. 6. de *Ætate et qualitat.* et c. *Auditis*. n. 2. de *Præscription.*; Barbosa, part. III. de *Offic. et potestat. episcop.*, allegat. 72. n. 175. et 176, citans Rotam decis. 85. n. 1.

part. II. *Recent.* et alios. Idque patet ex can. *Omnes basilicæ* 16. q. 7. ubi generaliter dicitur, quod omnes basilicæ, secundum priorum canonum regulam in « ejus episcopi potestate consistent, in cujus territorio posita sunt » Id ipsum clarius habetur expressum in c. *Ex frequentibus*. 3. h. t. ubi proinde summarium breviter sic loquitur: « Institutio beneficiorum spectat ad episcopos, vel eorum officiales. » Concordat, c. *Cum ex injuncto*. 12. § fin. de *Hæretic.* cum similibus.

23. *Habetque episcopus super hoc fundatam intentionem.* — Atque ideo episcopus super hoc habet intentionem suam in jure fundatam: uti conformiter juribus præallegatis, notat Abbas in c. *Cum venissent*. n. 2. et Barbosa, ibid. n. 2. h. t. istud intelligens nedum de institutione collativa, sed etiam de auctorizabili: et idem Barbosa, cit. allegat. 72. n. 175. et 176; Fagnanus, ubi supra, n. 6. post Rotam apud card. Seraphinum, decis. 776. n. 9. unde si lis inter episcopum, et alium prælatum inferiorem super jure instituendi in beneficio oriatur, onus probandi pertinet ad inferiorem, eo quod episcopus fundet intentionem in cit. can. *Omnes basilicæ*. 16. q. 7. et c. *Ex frequentibus*. 3. h. t. Atque in simili decisum habetur cap. II. de *Restitut. spoliat.* in 6. junctis dictis supra lib. II. tit. XIX. de *Probationibus*. § 5. n. 126. et 127.

24. *Etiam vicarius generalis, et capitulum sede vacante, possunt instituere in beneficiis presentatos a patronis.* — Resp. II. Etiam vicarius generalis episcopi virtute mandati generalis, sicut et capitulum Sede episcopali vacante, potest instituere in beneficiis presentatos a Patronis. Ita quoad priorem partem Glossa c. *Et frequentibus*. §. *Officialium*. et Abbas, ibid. n. 7. et Barbosa, n. 3. h. t.; Garcias, part. V. de *Beneficiis*: cap. VIII, n. 84 et 86, citans alios: junctis dictis supra tit. V. de *Præbend.* § 7. n. 190. et n. 197. et 198. ubi etiam declaratur di-paritas inter potestatem instituendi in beneficiis presentatos, et inter collationem liberam beneficii. Posterior vero pars, loquens de capitulo Sede vacante habetur in terminis decis. cap. un. h. t. in 6. illis verbis « Etsi capitulum Sede vacante beneficia, quæ ad collationem episcopi pertinent, conferre non possit: presentatos tamen a patronis potest admittere, si sint idonei, et eos instituere in beneficiis, ad quæ fuerint presentati; licet ad episco-

§ I. DE ILLIS, QUIBUS COMPETIT INSTITUTIO COLLATIVA, ETC.

pum (si superasset) admissio, et institutio hujusmodi pertineret. » Hæc ibi.

25. *Prælati inferioribus potestas instituendi presentatos in beneficiis, de jure communi non competit.* — Resp. III. Prælati inferioribus potestas instituendi in beneficiis presentatos, de jure communi non competit: quamvis hæc ipsis ex jure speciali (potest, ex privilegio, fundatione, consuetudine, aut præscriptione legitime completa) competere valeat. Ita Azorius, part. II. l. VI. cap. XXII. quæst. 2, asserens, quod præfata potestatem habeant episcopi jure communi; reliqui vero non nisi jure speciali, Barbosa, part. III. de *Offic. et potestat. episc.* allegat. 72. n. 176 et 184; Pirhing, h. t., n. 6. et alii. Prima pars patet ex cit. can. *Omnes basilicæ*. 16. q. 7. et c. *Ex frequentibus*. 3. h. t. Unde episcopum habere intentionem fundatam in jure super institutione beneficiorum in beneficiis suæ diocesis, pro jam dictum est.

26. *Solvitur instantia, concedendo, in casibus competere ex jure speciali.* — Nec minus c. *Super eo*. 15. de *Offic. delegat.* ubi dicitur: « Si archipresbyter, vel archidiaconus, vel episcopus, ad quem institutio pertinet, appellaverit: » ac proinde sequi videtur non solum episcopo, verum etiam archipresbytero, et archidiacono, de jure communi competere institutionem in beneficiis. Resp. enim cum Glossa ibid. §. *Archidiaconus*; Azorio, ubi supra, et aliis, negando sequelam. Nam, ut concordentur jura juribus, dicendum est, quod episcopo competat facultas instituendi in beneficiis de jure communi; archipresbytero autem, vel archidiacono, non nisi jure speciali: videlicet, quando eis specialiter concessum est, instituere in beneficiis; ut c. *Cum satis*. 4. de *Offic. archidiacon.* Vel, cum alias hoc obtinent de consuetudine, arg. c. *Dilecto*. 40. eod. Vel alio tali legitimo modo, c. *Cum venissent*. 6. h. t. ubi etiam archidiaconus, qui possidebat jus instituendi, pendente lite cum diocesano super ejus proprietate, defenditur in possessione; uti liquet ex textu ibid. §. *Nos igitur*. juncto summario, et doctoribus.

27. *Videlicet ex privilegio.* — Altera pars datæ conclusionis desumitur imprimis ex cit. c. *Super eo*. 15. de *Offic. delegat.* junctis proxime dictis. Eadem pars, in quantum loquitur de privilegio, seu speciali concessione, præter jura n. præced. allegata: patet ex c. *Ex frequentibus*. 3. h. t. juncta

Glossa §. *Officialium*. et c. *Cum satis*. 4. de *Offic. Archidiacon.* ibi: « Sine licentia et mandato episcopi: » cum similibus.

28. *Atque ex fundatione, saltem ab antiquo facta.* — Præterea, quod ex fundatione, saltem ab antiquo facta, possit aliis præter episcopum personis Ecclesiasticis, vel capitalibus, aut monasteriis acquiri jus instituendi, quando nimirum in limine fundationis, ac de consensu episcopi, apposita fuit qualitas illa seu conditio, ut institutio in ejusmodi beneficio pertineat ad inferiorem: tradit Abbas, c. *Cum dilectus*. n. 4. de *Consuetud.*; Barbosa, l. III. *Jur. Ecclesiast. univ.*, cap. XII, n. 28, Pirhing, h. t., n. 6, et alii junctis dictis supra fit. V. de *Præbend.* § 4, n. 5 et seqq.

29. *Qualis tamen post concilium Tridentinum amplius fieri non potest.* — Adhuc constant, « ex fundatione saltem ab antiquo facta. » Nam de facto novata fundatio amplius locum non habet: eo quod concilium Tridentinum sess. IV. cap. xxi. de *Reform.* provide decreverit, ut de cetero non amplius, aut dotationis, hujusmodi institutio episcopo, et non alteri inferiori reservetur. Unde cetera congregatio, ejusdem concilii inde præsumpta, an in juribus patronatus, qui post concilium acquiruntur, reservari possit institutio alteri quam episcopo? Responsum non posse in Ecclesiis etiam exemptis, nisi in illius ordinaria fangeretur jurisdictione: prout refert Fagnanus c. *Cum Ecclesia Vulterrana*. 31. de *Election.*

30. *Item ex consuetudine.* — Quia autem consuetudine possit cuiquam inferiori, patre, abbati, præposito vel archidiacono, competere institutio collativa in beneficiis: tenet Glossa in c. *Super eo*. §. *Archidiaconus*. de *Offic. delegat.* istud probans ex c. *Dilecto*. 10. de *Offic. archidiacon.* et c. *Ad hæc*. 2. de *Excessib. prælat.* Idipsum tradit Abbas, c. *Cum satis*. §. *Nota hanc causam de Offic. Archidiacon.* hoc ipsum probans ex c. *Cum venissent*. 6. h. t. et c. *Referente*. 7. juncta Glossa §. *Assignavit*. de *Præbend.*; Fagnanus, c. *Eam te*. n. 7. de *Ætate et qualitat.* citans Seraphicum decis. 306. n. 9; Barbosa, cit. allegat. 72. n. 184. allegans alios.

31. *Atque præscriptione: et an nec debeat esse immemorialis?* — Hoc ipsum esse dicendum de præscriptione (scilicet immemoriali) notat Barbosa, d. allegat. 72. n. 184. citans Mariam Antonium Var. *Resolut.* lib. I.

resol. 47. n. 6. et Lambertinum lib. II. part. II. q. 1. princ. art. 10. Verumtamen Azorius part. II. lib. VI. cap. XXII. quæst. 3. et Pirhing, h. t. n. 6, istud concedunt absolute de præscriptione, et non necessario requirunt immemoriam: ut Barbosa, loc. cit. idque iuxta generalia principia in materia præscriptionis tradi solita. Et huic posteriori sententiæ accedit Fagnanus, in c. *Auditis*. n. 6. de *Præscriptione*.; ubi distinguendo plures casus, post Alexandrum de Nævo ibid. et Innocentium in c. *Cum olim de Restitut. spoliati*. concludit, quod prælatus inferior, si solus fuit usus jurisdictione, puta, quia solus instituit spatio quadraginta annorum, videatur præscripsisse excluso episcopo.

32. *Prælati inferioribus, etiam regularibus competit jus instituendi in ecclesiis sibi pleno jure subjectis.* — Addunt doctores, et signanter Barbosa, d. part. III. de *Offic. et potest. Episc.* allegat. 72. n. 184; Fagnanus, c. *Cum venissent*. n. 14. h. t. et Pirhing, eod. n. 6. quod prælati inferioribus, etiam regularibus, competat jus instituendi in ecclesiis sibi pleno jure subjectis. Idque colligitur ex c. *In Lateranensi*. 31. de *Prævend.* argumento a sensu contrario desumpto, ex illis verbis: « Statuentes nihilominus, quatenus religiosi in Ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, juxta ejusdem concilii statuta, episcopis instituendos presbyteros representent, ut illis de plebis cura respondeant » Concordat Clem. un. § *Quidam præterea capellanos de Excessib. prælat.* et c. *Cum et plantare*. 3. § *In Ecclesiis de Privileg.* ubi Glossa §. *Pleno jure*, infert, quod in ecclesiis pleno jure ad religiosos pertinentibus, nihil possit episcopus attentare in illos: et ita institutio, et destitutio quoad temporalia, et spiritualia, ad ipsos pertineat c. *Visis litteris*. 16. q. 2.

33. *Ecclesia pleno jure subjecta, quæ?* — Cæterum ecclesiæ pleno jure dicuntur ad aliquem pertinere quando utroque jure, id est, in spiritualibus et temporalibus, eidem subjectæ sunt. Glossa in d. c. *Cum et plantare*. 3. § *In Ecclesiis*. §. *Pleno jure de Privileg.* et alia Glossa c. *Quoniam*. 21. eod. ubi verba illa exponendo, dicit: « utroque jure, scilicet in spiritualibus et temporalibus » Card. Tuschus litt. P. concl. 364. n. 3; Barbosa, part. III. de *Offic. et potest. Episc.*, allegat. 89; n. 4, citans alios; ac novissime Ludov. Engel, de *Privileg. monasterior.* privileg.

46, § *De unione. pleno jure.* ubi ex professo de hoc tractat.

34. *Laici nullo modo possunt proprie clericum instituere in beneficiis.* — Resp. IV. Laici nullo modo possunt proprie instituere clericum in aliquo beneficio. Ita communis; et ratio est: quia potestas instituendi in beneficiis, est spiritualis; cujus incapax est Laicus, c. *Decernimus*. 2. de *Judiciis*. et c. *Causam quæ*. 7. de *Præscriptione*. cum similibus. Concordant dicta superius lib. I. tit. VI. de *Electione*. n. 174. et 175. et n. 219. ubi in simili dicitur, laicos non posse eligere, vel eligi ad beneficia Ecclesiastica, nisi ex speciali dispensatione, seu privilegio Papæ: qua ratione ipsis etiam competit jus patronatus, seu jus præsentandi, vel nominandi clericos idoneos ad beneficia Ecclesiastica vacantia: nam istud non est proprie instituere in beneficiis.

35. *Atque præsumentes sic instituere, jubentur excommunicari. Et clerici de manu laicorum investituram Ecclesiarum accipientes subjacent pænæ suspensionis et excommunicationis, etc. Et qualiter?* — Eadem conclusio patet ex c. *Præterea quia*. 4. de *Jurepatronat.* ubi laici, qui clericos instituere, vel destituere præsumunt in Ecclesiis, etiam patronatis, jubentur anathemate feriri. seu excommunicari. Item ex can. *Si quis deinceps*. et can. *Quoniam*. 16. q. 7. ubi clericus non solum pænæ suspensionis, sed etiam excommunicationis subjacere decernitur, qui investituram Ecclesiarum, contra statuta sanctorum Patrum, de manu imperatoris, vel regis, aut alterius laicæ personæ suscipere præsumperit: nam, ut cit. can. *Quoniam*, notatur, « ex eo plurimas perturbationes in Ecclesia (imo ruinam sanctæ religionis) oriri cognovimus. » Quanquam de facto sive post concilium Lateranense, relatum, cit c. *Præterea quia*. 4. de *Jurepatronat.* pænâ illa suspensionis, atque excommunicationis, non sit lata, sed ferendæ primæ sententiæ; uti notat Glossa d. c. *Præterea quia*. §. *Communionem privetur*. et Abbas, ibid. n. 1. de *Jurepatronat.* ac sequitur Pirhing, eod. tit. n. 24. Concordant dicta superius tit. V. de *Præbendis*. § 17. n. 515. et 516. ubi tales censentur intrusi: et si perstiterint in beneficio taliter suscepto, a ministerio ecclesiastico, et ordine deponendi, cit. c. *Præterea quia*. 4. de *Jurepatronat.* et alibi atque effluuntur ineligibiles, c. *Quisquis*. 43. de *Electione*.

36. *Institutio auctorizabilis de jure communi*

pertinet ad episcopum. Adeo, ut Archidiaconus non possit curam animarum committere sine licentia episcopi. Habetque episcopus super hoc fundatam intentionem. — Quæritur II. Ad quem pertineat institutio auctorizabilis, atque an hæc præscriptione acquiri possit? Resp. I. Institutio auctorizabilis, sive potestas conferendi curam animarum de jure communi pertinet ad episcopum: adeo, ut nec archidiaconus sine licentia, et mandato episcopi, possit curam animarum committere. Ita textus apertus in c. *Cum satis*. 5. de *Offic. archidiacon.* ubi Glossa fin. et doctores communiter. Concordat can. *Nullus omnino*. 16. q. 7. ubi hoc ipsum expressis verbis sancitum legitur.

37. *Excipitur prælatus inferior habens jurisdictionem quasi episcopalem in clerum, et populum privative ad episcopum. Talis prælatus venit nomine diocesanæ.* — Excipe casum, quo prælatus inferior jurisdictionem habet quasi episcopalem in clerum, et populum, privative ad episcopum: puta, quia nullus est diocesis. Fagnanus, c. *Eam te*. n. 4. de *Ætate et qualitat.* et c. *Cum contingat*. n. 31. et 37. de *Foro compet.* allegans sententiam sac. congregationis concilii. Siquidem prælatus ejusmodi constituitur in proprio territorio; ita ut veniat nomine diocesanæ, juxta Glossam in Clem. 1. §. *Diocesanis*. et Abbatem ibid. n. 15. de *Jure compet.* Et quia omnimodam habet jurisdictionem in clerum, et populum privative ad episcopum, hoc ipso obtinet potestatem tradenti curam animarum, utpote quam alius præter Papam tribuere non posset.

38. *Institutio auctorizabilis nequit archidiacono, vel aliis prælati episcopo subjectis, vi consuetudinis, vel præscriptionis competere.* — Resp. II. Institutio auctorizabilis, seu jus tradendi curam animarum absque consensu episcopi, nequit archidiacono, vel aliis prælati episcopo subjectis competere vi consuetudinis, seu præscriptionis. Ita Abbas c. *Cum satis*. 4. not. 3. de *Offic. archidiacon.* et Joan. Andreas, ibid. 6. et 18; Fagnanus, d. c. *Eam te*. n. 3. de *Ætate et qualitat.*; Layman, cit. c. *Cum satis*. post Azorium part. I. lib. V. cap. XIX. § *Consuetudo item*. et Pirhing eod. tit. de *Offic. archidiacon.* n. 13. et alii: quamvis Barbosa part. III. de *Offic. et potest. episc.* allegat. 72. n. 185. cum nonnullis aliis a se allegatis, et post ipsum Engel, h. t. n. 8. oppositum teneant. Conclusio desumitur ex d. c. *Cum satis*. de *Offic. archidiacon.* ubi Alexan-

der III. Elianensi archidiacono, (qui sine licentia episcopi sui committebat curam animarum, dicens, hoc ex consuetudine sibi licere; prout refert Glossa in Casu. ibid.) rescripsit in hæc verba: « Quoniam igitur obtentu alicujus consuetudinis, non debes contra sanctorum Patrum constitutiones venire, et quod ad tuum non spectat officium vindicare: Mandamus. ut nemini sine licentia, et mandato episcopi, curam præsumas committere animarum. » Hæc ibi.

39. *Ubi in jure fit mentio de consuetudine, denotatur completa et præscripta.* — Nec sufficit cum Glossa ibid. §. *Consuetudinis*, relatum capitulum intelligere de consuetudine non præscripta. Nam contra est; tum quia istud est divinare; cum textus absolute id fieri prohibeat « obtentu alicujus consuetudinis; » quasi diceret: « Obtentu nullius consuetudinis id debes facere, » etc. ut loquitur Joan. Andreas cit. n. 18; tum quia, ubi in jure fit mentio de consuetudine denotatur completa et præscripta, arg. c. *Cumana*. 50. et notat Abbas, ibid. n. 4. de *Electione*.; Joan. Andreas d. n. 18; Mascardus, de *Probatione*. concl. 172. n. 11, et alii. Siquidem hæc sola, proprie, et absolute, dicitur *Consuetudo*; alia vero non nisi in facto consistit.

40. *Sententia illa negativa ulterius probatur.* — Accedit ratio datæ conclusionis. Quia irrationabilis, atque idcirco invalida est consuetudo, quæ est perniciose ecclesiis, eisque grave damnum infert, cap. I. de *Consuetud.* et cap. I. de *His, quæ fiunt a major.* part. *Capit.* estque jam dictum supra I. I. tit. IV. de *Consuetudine*. § 3. num. 84. et 85. Atqui consuetudo illa, vi cujus archidiaconus, vel alius prælatus episcopo subjectus, posset sine licentia episcopi, sicque eo inscio, vel etiam invito, conferre curam animarum, atque instituere curatos inferiores, foret perniciose ecclesiis: ergo. Minor patet ex eo: quia episcopi est invigilare, ne indigni instituantur, atque promoveantur ad regimen animarum, can. *Regenda*. et can. *Quæcunque*. 10. q. 1. Hoc autem episcopus præstare nequiret, non absque gravi periculo animarum, si inferior, vi consuetudinis obtinere valeret institutionem auctorizabilem; et sic absque examine episcopi, imo ipso inscio, vel saltem non consentiente, posset cæteris clericis conferre curam animarum. Unde non immerito concilium Tridentinum, sess. 7. cap. XXI. de *Reform.* contrariam consuetudinem, etiam immemoriam, reprobavit,

verbis illis supra numer. 45. jam relatis.

41. *Ac solvuntur contraria.* — Nec obstat ratio Barbosæ cit. allegat. 72. n. 185. desumpta tum ex generalibus principiis in materia consuetudinis, atque præscriptionis traditis: tum ex eo, quod religiosi possint via præscriptionis acquirere ecclesiam pleno jure quoad omnimodam jurisdictionem; et consequenter etiam præscribere potestatem tradendi curam animarum, arg. Clem. un. § *Quidam præterea. de Excessib. prælat.* Resp. eum, generalia illa principia non procedere, ubi consuetudo est irrationabilis, seu perniciosa ecclesiis; qualis est hæc juxta proxime dicta.

42. *Ulla procedit solum de archidiacono, et prælati episcopo subjectis: non de exemptis. Prælati regulares possunt præscribere jura episcopalia: adeo, ut certe ecclesie remaneant ipsis pleno jure subjecte.* — Ad alterum dicitur, conclusionem præmissam loqui de archidiacono, et aliis prælati episcopo subjectis: nam de istis loquendo sequeretur perniciosa, graveque damnum ecclesiarum, si sine licentia episcopi, eoque inscio, vel aliam invito, possent committere curam animarum. Per hoc tamen non negatur, quin religiosi, seu horum prælati, possint præscribere jura episcopalia, c. *Cum olim.* 18. *de Præscription.* vel etiam totum jus episcopale in certis ecclesiis diocesis; adeo, ut hæc prælati illis remaneant pleno jure subjecte, per textum notabilem in c. *Auditis.* 15. § *Quo circa.* juncta Glossa. § *Jus Episcopale*, eod. sicque in consequentiam etiam valeant præscribere institutionem auctorizabilem, seu potestatem tradendi curam animarum pro memoratis ecclesiis: ex hoc enim non sequitur absurdum n. 40. allegatum, hoc ipso, quod illarum Ecclesiarum cura non amplius pertineret ad episcopum. Secus dicendum archidiacono, et aliis prælati episcopo adhuc subjectis, ad memoratum absurdum et jura talem consuetudinem merito reprobantia. Unde Abbas cit. c. *Cum satis.* Not. 3. *de Offic. archidiacon.* notat quidem, quod institutio auctorizabilis, scilicet cura animarum, consuetudine per archidiaconum, vel inferiorem prælatum ab episcopo quæri non possit: nihilominus hoc non obstante, in c. *Cum non liceat.* n. 17. *de Præscription.* ex professo docet, quod prælati exempti possint præscribere potestatem committendi curam animarum pro certa Ecclesia: et tunc (inquit) « ipse abbas, seu

prælati exemptus taliter præscribens, visitabitur a suo superiore, cum sit exemptus. »

43. *Institutio corporalis in beneficiis, spectato jure communi, pertinet ad archidiaconum.* — Queritur. III. Ad quem pertineat institutio corporalis in beneficiis? Resp. I. Spectato Jure communi, institutio corporalis in beneficiis (vulgo *Investitura*, seu *Installatio*) spectat ad archidiaconum. Ita communis; estque textus expressus in c. *Ad hæc.* 7. § *In quadam. de Offic. archidiacon.* ibi: « Institutio corporalis, tam super beneficiis, quam etiam dignitatibus ad ipsum (archidiaconum) debeat pertinere. » Quamquam hinc excepiendi sint canonicatus: nam institutio corporalis in istis, de jure spectat ad decanum; ut probat textus in c. *Post electionem.* 7. *de Concession. præbend.* illis verbis: « Per cuius (decani) manum debebas in capitulo investiri: » juncta Glossa ibid. § *Ordinatio.*

44. *Secus de consuetudine multorum locorum.* — Additur tamen, « spectato jure communi. » Nam de consuetudine, quæ hodie multis in locis obtinet adversus archidiaconos, institutio corporalis, seu investitura in beneficiis pertinet ad episcopum, vel delegatum ab eo, arg. c. *Licet episcopus.* 28. *de Præbend.* in 6. ubi de episcopo dicitur, quod in casu ibidem expresso possit quidem conferre beneficium ab altero possessum, illam tamen, cui contulerit, non debeat, priore possessore non vocato, « in possessionem ipsius inducere corporalem. » Quibus posterioribus verbis, argumento a sensu contrario desumpto, satis indicatur, ad episcopum, vel delegatum ipsius, de facto spectare institutionem corporalem: idque vi consuetudinis, per quam archidiaconi amiserunt jus, ceteroquin de jure communi sibi competens, peragendi institutionem corporalem. Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut.* cap. XVI. n. 7. vers. *Tertius casus.* Engel, h. t. n. 3.

45. *Cap. Licet episcopus de Præbend. in 6, in quo casu loquatur?* — Fatendum quidem, quod citatum c. *Licet episcopus. de Præbend.* in 6. præcipue loqui videatur in casu, quo beneficium est litigiosum, atque ab alio occupatum, sive possessum. Tunc enim necesse est, ut episcopus ipsum antea citatum audiat, si forte justam causam retinendi beneficium allegare possit: alioquin vero episcopus per sententiam ipsum expellat, decernendo simul, quod alter, cui beneficium jam contulerat, in ejus possessionem

corporalem inducendus sit; sicque ipsemet episcopus eum inducere censatur. Covarruvias, et Engel, ubi supra. Verumtamen per hoc non negatur; quin etiam de consuetudine possit instituo corporalis ad episcopum, vel delegatum ipsius, pertinere: qualis consuetudo præsertim in amplioribus diocesis, sicque archidiaconis longius plerumque distantibus, invaluisse videtur.

46. *Investitura in beneficiis, sicut et feudis, duplex est, verbalis nimirum et realis.* — Queritur IV. Qui soleant esse ritus institutionis corporalis, seu investituræ in beneficiis? Ubi prænotandum est cum Engel, h. t. n. 5. et Julio Claro, in § *Feudum.* quæst. 26 n. 1. quod in beneficiis, sicut et in feudo, duplex investitura a doctoribus distingui solet: una verbalis, seu (ut Julius Clarus loquitur) abusiva, quæ fit per verba cum traditione alicujus signi: puta, cum impositione byrreti, vel (loquendo de feudis) per traditionem annuli, vel ensis: altera realis, seu proprie dicta, quæ fit per actualem introductionem in possessionem beneficii, seu rei feudalis. Quo prænotato.

47. *Investitura verbalis ritus, qui?* — Resp. I. Loquendo de investitura verbalis, quæ nonnunquam investituræ reali præmittitur, solet in quibusdam locis investiendas coram episcopo, aut vicario generali, vel consilio ecclesiastico ipsius, facere professionem fidei, juxta præscriptum concilii Tridentini, sess. 24. cap. XII. *de Reform.* et dicta superius lib. I. tit. I. *de Summa Trinitate.* § 8. n. 157. et seqq. atque insuper episcopo præstare juramentum obedientiæ, et fidelitatis: et tunc imponitur ipsi annulus, vel byrretum, adjunctis verbis investituræ significantibus.

48. *Hæc quandoque fit nulla præcedente electione, institutione, etc. Quandoque ea præcedente, et quid operetur?* — Porro hujusmodi investitura verbalis quandoque fit nulla præcedente electione, institutione, vel collatione; puta, quia superior capiendo annulum, vel byrretum dicit: « Investio te de tali beneficio, » etc. et tunc ea habet vim collationis, atque per eam transfertur jus beneficii in investitum, dummodo investiens potestatem habeat conferendi. Joan. Andreas, c. *Transmissam.* n. 13. *de Election.*; Abbas, c. *Auctoritate.* n. 9. h. t.; Pirhing, eod. n. 1. Quandoque vero fit præcedente electione, institutione, vel collatione: et tunc, si fiat in absentia rei, puta beneficii ecclesiastici,

investitura ejusmodi est quasi confirmatio juris præcedentis; atque inducit, non quidem actualem possessionem (seclusa speciali locorum consuetudine, arg. c. *Ex litteris.* 2. *de Consuetud.*) sed obligationem duntaxat ad faciendam traditionem dictæ actualis possessionis; vel ad summum confert licentiam, propria auctoritate vacuam possessionem occupandi. Abbas cit. n. 9; Engel, h. t. n. 5; Jul. Clarus in d. § *Feudum.* quæst. 26. n. 2.

49. *Si hæc fiat de re præsentate, transfert actualem possessionem ejus.* — Additur tamen ly, « Si fiat in absentia rei, » etc. Nam si dicta investitura fieret de re præsentate, vel saltem existente in conspectu investientis, jam non esset mera investitura verbalis, sed realis; atque transferret actualem possessionem beneficii vacui, seu in cujus possessione nullus alius existit. Joan. Andreas cit. c. *Transmissam*, n. 13. et 14. *de Election.*; Abbas d. n. 9. sic concordans Glossas, quæ alioquin videntur contrariæ: estque amplius dictum supra lib. II. tit. XII. *De causa possessionis et proprietatis.* n. 111. 112. 117. et seqq. ac n. 140.

50. *Investituræ realis ritus solent esse varii; et quales?* — Resp. II. Quantum attinet ritus investituræ realis, seu corporalis, iidem solent esse varii, pro diversitate locorum; prout notat Zoesius h. t. n. 4; Engel, eod. n. 5. et 6; Pirhing, n. 1; Sannig, eod. tit. cap. III. n. 4. Unde in praxi expedit, laudabiles cujuslibet loci consuetudines, tribusque investiendi realiter in beneficiis ab antiquo usitatas, observare. Sic abbates v. g. investuntur per inductionem in templum, et collationem in Sede: qua « investitura in spiritualibus » (ut vocant) peracta, alicubi sequitur « Investitura in temporalibus, » deducendo novum abbatem in ædes abbatiales, atque claves earumdem, etc. ipsi assignando canonici solent investiri per assignationem loci in choro, et capitulo. In parochialibus beneficiis investitura fit per introductionem in templum, osculum altaris summi, aspersionem aquæ benedictæ, pulsus campanæ, etc. Alicubi vero tota investitura verbalis, et realis, simul peragitur in ipso loco parochiæ per commissarium episcopi; atque in die festo, dum parochiani ad divina conveniunt, proponitur ipsis in Ecclesia novus parochus, qui et ibidem publice professionem fidei, atque juramentum obedientiæ deponit, ac insignia parochialis recipit, etc., de quo plura Engel, cit. n. 6.